In eadem pactione [2] legimus: « cum *meridibus omnibus et alluvionibus junctis.* » *Alluviones* autem terræ sunt quas Apennini torrentes abreptas alio transtulerunt. Ex qua interpretatione, quod comes Hieronymus Aquinius de *meridibus* exposuit magnam accipit fidem [3]. Etenim *alluvionibus* palustres loci proximi esse solent.

§ XVII. In septima columna [4], secunda obligatio Tabulæ legitur, quæ quidem integra a Cornelio Gallicano facta est.

§ XVIII. Pauca amplius, quæ mihi Inscriptionem legenti occurrerunt, de magistratuum alimentariorum administratione dicenda sunt. Plerasque Tabulæ pactiones sane minores magistratus digesserunt, qualis erat Quæstor Alimentarius Veleiæ civitatis, vel Procurator Alimentarius, quum fundi obligati extra civitatem Veleiam siti essent; namque Procuratoris juris plures civitates erant. Quum autem pactiones majoris momenti essent, eas Curator, vel etiam, sicut 15^{am}, 17^{am}, 31^{am}, etc., Præfectus Alimentarius obligabat. Sed neque Quæstorum nec Procuratorum, neque etiam Curatorum nomina, Trajano imperante, in titulis insunt; contra insunt nomina Præfectorum, quibus sane, ut pote præcellentibus viris, publicus iste honor debitus erat. Semper autem fuisse vectigal quoddam impositum fundis vidimus quos obligant Præfecti; unde non sequitur fundos omnes quibus vectigal quoddam impositum a Præfectis esse obligatos; namque, in obligatione septimæ

1. Col. VI, l. 84.
2. Col. VI, l. 86.
3. Vide *supra* § VI. — Cf. *De Alluvionibus* Aggenum Urbicum : De Controv. agror., p. 82, ed. Rudorffii, Berol., 1848.
4 L. 31 et sqq.

columnæ, facta illa a Cornelio Gallicano, non de terris quibus quoddam vectigal impositum agitur. Sed illam integram obligationem clarissimus ille vir fecit, quæ plures pactiones continet. In majore autem obligatione, aliquot tantum pactiones Præfectus fecit, quarum quidem semper fundi *deducto vectigali* obligantur.

CAPUT II.

VELEIATIUM TABULÆ EXPLANATIO GEOGRAPHICA.

§ I. Sex civitates in Tabula Veleiatium reperiuntur. Quanquam plerique aut, ni fallor, omnes qui Inscriptionis Veleiatium geographiam explanare conati sunt, quinque tantum indicaverunt civitates, Veleiam scilicet, Placentiam, Parmam, Lucam et Libarnam; sexta quædam nomine Antium, adjungenda ex ipsa Tabulæ scriptura mihi videtur; etenim in columna tertia hæc leguntur :

. . . . . ET · FVND · ATILIANVM · ARRVNTIANINNIELIVM · ANTIATE · ET · VELEIATE · PAG · FLOREIO . . . . .

Quarum civitatum situm minime dubium esse, conditionem vero diversam infra demonstrabo.

§ II. Qua parte vergit ad meridiem Placentia, ad radices Apennini, et loco qui hodie *Macinesso* dicitur, ad dextram ripam torrentis *Chero*, Veleia sita erat. Eo quinque ducebant viæ quarum adhuc nonnulla supersunt vestigia : una Placentiam ducebat; altera juxta Florentiam (id est *Fiorenzuola*), Æmiliam viam jungebat et Parmam ducebat; tertia, per Apennini fauces, adversum montium clivum et Aurelianam viam petebat; quarta quintaque in occiduam partem Libarnam et Augustam Taurinorum ducebat.

§ III. Municipium Veleia primum fuerat. Dubito etiam an colonia unquam fuerit; nulla enim inscriptio ex iis, quæ ibi repertæ sunt, appellationem *coloniæ* præbet; multi autem tituli apud ipsam Veleiam ad *Duumviros* et *Decuriones* spectant. Sæpissime enim in coloniis Duumviri, in municipiis autem Quatuorviri reperiuntur; quod in provinciis semper invenimus, sed, in Italia, quum vetustissima cujusque populi Romanis subjecti instituta conservata sint, nihil certi in conditione magistratuum civilium

cognovimus; sic Narniam semper Dictatorem, Ostiam coloniam Prætorem habuisse accepimus; apud municipia igitur modo Quatuorviros, modo, licet rarius, Duumviros; apud colonias vero modo Quatuorviros, modo, et id sæpius, Duumviros, Ædilem, Quæstorem et Decuriones esse ex titulis patet. Nihil igitur certi ipsum vocabulum *colonia* inscriptum in pluribus titulis, de conditione civitatis, certe in Italia, afferre potest. A Claudio autem principe, inscriptam hanc civitatem in Galeria tribu Lama ex quodam titulo fuisse conjicit, quod minime mihi constare videtur. En habes inscriptionem :

L · SVLPICIO
L · F GAL · NEPOTI
FLAM · DIVI · HADRIANI
AVGVSTAL
IVDIC · EX · V̄ · DEC
ĪIVIR · AVG
ĪIVIR · PLAC
EVTHALES · LIB
PATRONO · R · P ·
D D[1]

L. Sulpicius, licet fundorum, ut ex Tabula notum est, possessor in hac regione fuerit, et patronum Reipublicæ Veleiatium (namque hoc monumentum Veleiæ repertum est) sese professus fuerit, hoc vocabulum GAL[eria] nullo modo ad civitatem ipsam pertinet. Una tantum inscriptio reperta in civitate minus valet quam ut urbem ipsam in hac tribu Galeria sitam fuisse demonstret. Nempe pluribus titulis ad rem comprobandam opus esset. Hominem vocabulum *Galeria* respicit, cui quidem sedem alio transferre suam licebat. In titulis etiam quibusdam filios reperias qui paternæ tribus ipsi non sunt.

Multæ etiam inter insignes Romæ gentes, quæ in ea civitate fundos possidebant, coloniam Veleiam fuisse, ut est Lamæ sententia, testantur. Sed res est in municipiis, imperatorum ætate, frequentissima.

Fundos autem imperator, ut ex inscriptione ipsa discimus, in hac civitate habebat, quod tantum in coloniis, ut quidem Cara arbitratur, fieri solebat. Ex aliis etiam titulis, in eadem civitate Decuriones, Ædiles, opificum collegium Herculeamque sodalitatem fuisse novimus; statuas denique in Foro

1. In hoc titulo, quinto versu, sine dubio, nonnulla desunt. Quarto autem vel AVGVSTAE vel AVGVSTAL legitur.

Veleiæ et in Basilica repertas ipse ego vidi in Museo Farnesio effigiem Agrippinæ majoris, Agrippinæ minoris, Neronis infantis, Germanici ac Faustinæ præbentes. Quæ quidem omnia coloniam ibi exstitisse indicant magis quam certo demonstrant. Quum autem ipsum coloniæ vocabulum nec apud scriptores nec in monumentis diversis expressum sit, Veleiam pro colonia habere equidem non ausim.

§ IV. Placentia, ad urbem hodierno die *Piacenza* dictam sita, primum colonia Romana, postea municipium fuerat[1].

§ V. Parma colonia erat[2]; Luca autem colonia et municipium[3].

§ VI. Libarnæ autem conditio quæ fuerit incertum est. Hoc oppidum, ut doctissimus Walckenaerius arbitratur[4], ad locum dictum hodie *Lavezzara*, minus distantem a loco dicto *Decimo*, situm erat.

§ VII. Quæ autem erat illa sexta civitas Antium, nomine tantum in Inscriptione designata? In eodem Walckenarii opere[5], scriptura geographi Scylacis restituta, sic legimus : « .... Après le fleuve Rhône, sont encore « les Ligures jusqu'à Antium; dans cette région est la ville grecque de Mas- « salia; les colonies de Massalia sont. . . . .
« .... La navigation, du Rhône à Antium, est de quatre nuits. Après Antium « est la nation des Tyrrhéniens jusqu à la ville de Rome, et la navigation « d'Antium jusqu'à la ville de Rome est de quatre jours et de quatre nuits[6]. »

Cluverius legit non Antium sed Arnum; Walckenaerius autem Antium eamdem esse civitatem atque Genuam ex mensuris Scylacis putavit, quam quidem sententiam confirmare, ni fallor, Veleiatium inscriptio videtur.

§ VIII. Sicut et ceteræ romanæ civitates, ita in pagos Veleiatium et Placentinorum, jam et Parmensium civitates dividebantur. Arbitror quidem Libarnam, Lucam et Antium civitates non pagos integros in regione Veleiæ et Placentiæ habuisse, sed tantum fundos nonnullos in pagis trium vicina-

1. Cluv. Ital. antiqua, p. 267, ed. Elzev. in-f°. ; — Dictionnaire de géographie de Lamartinière.

2. Cluv. *id.*, p. 273, *ibid.* — Dict. de Lamartinière.

3. Cluv. *id.*, p. 506, *ibid.* — Dict. de Lamartinière.

4. Walckenaer, Géographie comparée des deux Gaules, t. II, part. II, ch. iv, p. 109; — Cf. Plinii Hist. Nat., III, 7, t. II, p. 75, edit. Nicol. El. Lemaire.

5. Géogr. comparée des deux Gaules, l. I, part. I, ch. ii, p. 32 et suiv.

6. Cf. Scylacis Periplus; Gronovii Geographia antiqua, p. 3 et 4. *Leyde*, 1700, 2e edit. Gronovii.

rum inter se civitatum, VELEIÆ, PLACENTIÆ et PARMÆ possedisse. Hæc autem est pagorum Inscriptionis tabula :

Veleia.	*Placentia.*	*Parma.*	*Libarna.*	*Luca.*	*Antium.*
Albensis	Apollinaris	Mercurialis	Eboreus [1]	quosdam	fundum
Ambitrebius	Briagontinus	Salutaris [6]	Martius [2]	fundos possi-	possidebat
Bagiennus	Cerealis	Salvius. [5]	Moninates. [4]	debat in	in Floreio
Dianius	Farraticanus			Albensi,	pago (vid.
Domitius	Herculanius			Minervio	Veleiam).
Eboreus [1]	Julius			et Statiello	
Floreius	Minervius [9]			pagis (vid.	
Junonius	Noviodunus			Veleiam).	
Lurates	Salutaris [6]				
Martius [2]	Sinnensis				
Medutius	Valentinus				
Minervius [3]	Valerius [7],				
Moninates [4]	Venerius [8]				
Salvius [5]	Vercellensis				
Salutaris [6]	Veronensis.				
Statiellus					
Sulcus					
Valerius [7]					
Velleius					
Venerius [8].					

In eodem pago sæpissime duarum vel etiam trium civitatum fundos fuisse sitos ex ista tabula constat. Etenim fundos LIBARNA civitas in ALBENSI et in MARTIO nec non et in EBOREO, pagis Veleiatium, possidebat.

§ IX. Perantiqua est ista civitatum in pagos descriptio : eam a Servio Tullio institutam fuisse tradit Dionysius Halicarnassensis; at propius fidem est eam ipsa Roma antiquiorem fuisse.

1. In hoc pago Libarna civitas quosdam fundos possidebat.
2. In hoc pago Libarna civitas quosdam fundos possidebat.
3. In hoc pago civitatum Placentiæ et Veleiæ fundi erant.
4. In hoc pago Libarna civitas quosdam fundos possidebat.
5. Partim in Veleiate, partim in Parmense.
6. In hoc pago Placentia et Parma civitates quosdam fundos possidebant.
7. Partim in Veleia, partim in Placentia.
8. Partim in Veleia, partim in Placentia.
9. IV, 15.

§ X. Pagis præficiebantur magistratus quidam dicti sive pagorum Præfecti, sive Parochi, quibus mandata erat cura ut victum vestitumque magistratibus, qui provinciam suam petebant, ac *ligna salemque* præberent[1]; operam quoque dabant ne terra negligeretur, atque ut viæ a fundorum possessoribus munirentur[2]. Annonam, V° sæculo, prout debebatur a singulis, exigebant[3]. Hoc autem nomen *Præfecti* mihi cum *præfectura* concordare videtur. De præfectura vero apud Siculum Flaccum hæc invenimus : « .... suis limitibus quæque regio diuisa est,.... quæ singulæ præfecturæ appellantur[4].... » Iidem magistratus nonnunquam *ædiles pagi* dicebantur, quippe qui parvo paganorum ærario præsiderent[5].

§ XI. Pagus igitur erat pars aliqua civitatis, quamvis, V° certe sæculo, non civitatis sed provinciæ magistratuum, juris esset, ut ex codice Theodosiano comperimus : « Provinciis præsidentes per omnium villas sensim atque usitatim vicosque cunctos discurrant[6].... » Tributa autem civitatibus quisque pagus solvebat : « Possessores quum satisfecerint publicæ conlationi, cautiones suas ad tabularios publicos deferant, ut eas tabularii sive sexagenarii periculi sui memores suscipiant a conlatoribus ipsas species quæ debentur ex horreis suis ad civitates singulas per menses singulos perlaturis : ne inlatio tributorum ex solis apochis falsis vel imaginariis cognoscatur[7], etc. » V° sæculo, pagi juris erant Defensorum civitatis. Verisimile est Trajani tempore, paganos ad urbem curialia officia obituros, ut, Augusti ætate, *bonos patres* ex Horatii epistola[8] discimus, solitos esse devenire.

§ XII. Pagusne quisque integer in unum et idem solum patuerit intra certos fines, an plures in partes sæpissime divisus fuerit, haud equidem facile

1. Horat., l. I, sat. V. v. 46. — Nulla autem primis temporibus Imperii inscriptio hoc vocabulum *Parochi* præbet.

2. Sicul. Flacc. De condit. agror., ed. Rudorff., p. 146; vid. *supra*, part. III, c. I, § II, not.

3. Cod. Theodos., l. XI, De Annona et Tributis, II.

4. De condicionib. agror., edit. Rudorff., p. 160.

5. Fabretti. Inscript., p. 657.

6. Cod. Theod., l. I, de officio Rectoris provinciæ.

7. Da. Kal. nov. Trev. Constantino A. III et Licinio IIII coss. Cod. Theod., l. XI, t. I, De Annona et Tributis.

8. ...... Habitatum quinque focis, et
Quinque bonos solitum Variam dimittere patres.
(Horat. Ep., l. I, ep. XIV.)

dijudico. Non dubium est, ut Tabulæ exemplo utar, pagum VERCELLENSEM finitimum fuisse pago AMBITREBIO, qui in utramque TREBIÆ ripam patebat; nec non et in VERCELLENSI agro, id est, apud Vercellos, multos habuisse fundos. Sed rarissima hæc exempla partium ejusdem pagi disjunctarum esse mihi videntur. Nam, quanquam in Tabula Albensem pagum invenimus, oppidum ALBAM sine dubio extra fines VELEIÆ civitatis situm esse comperimus. Colonia enim ALBA tribus Camillæ et juris Latii erat[1]. Suamne autem cinxerint civitatem omnes pagi, an singuli disjuncti fuerint, hinc et inde distributi, plane incertum est. Priorem Cara, posteriorem vero opinionem Pitarellius sequitur. Civitates autem ab oriente ad occiduam partem in Italia septentrionali extendisse fines suos, prout occidentales Cisalpinæ populos armis Romani subigebant, notandum est[2]. Tum necesse erat nonnullos agros, a suburbio cujusque coloniæ vel municipii disjunctos, huic, priori jure, armorum scilicet, adhærere. VELEIATIUM vero civitatem totam distributam fuisse in omni Cisalpina, per agros TAURINORUM et VAGIENNORUM et SALASSORUM et usque ad Padi fontes pagos habuisse contendit Pitarellius, quod maxime dubium vel etiam falsum mihi videtur; constat tamen civitates ipsas, sicut romani quidam optimates qui latifundia in diversis regionibus possidebant, fundos etiam ab urbe longo sæpe intervallo separatos, quin etiam, et ultra fines Italiæ, habuisse; et quum ad tertium usque vel quartum sæculum a Chr. eadem sæpe fundorum privatorum et fundorum civitatum conditio fuerit[3], nihil obstat quominus agri civitatum ab urbe longe fuerint dissiti, quoniam privati cujuslibet terras ad plures provincias potuisse pertinere accipimus. Agros enim multos in promptu habeo quos nominare possum qui ab urbe sua procul dissiti erant. Nonne apud Plinium legimus CRUSTUMERIUM civitatem a Tiberi divisam fuisse, illiusque partem alteram in Latio et prima regione, alteram in Etruria et septima regione fuisse? Nonne idem Plinius FIDENIS quartam apud Sabinos regionem; mox, in Latio, primam adscribit; id significans, partem hujus agri ab urbe FIDENIS sejunctam, quin et longe semotam fuisse? Jam in Tabula ipsa VELEIATIUM, nonne videmus

1. Walckenaer. Géogr. des deux Gaules, t. II, p. 464. — Durandi. Delle antiche città di Pedona, Caburro e Germanicia, p. 77. — Gruter, p. 214. — Cluv. Ital. antiq., l. I, p. 86. — Poggiali, Storia Piacentina.

2. Walckenaer, t. II, part. III, ch. VII.

3. Emphyteuticarii agri. Dig., l. VI, tit. III.

4. Plinii Hist. Nat., l. III, c. IX.

civitatem LUCAM fundos possidere in pagis ALBENSI et MINERVIO et STATIELLO, qui sane minus ab oppido VELEIATIUM distabant. Multa denique sunt exempla civitatum Italiæ in Transalpina Gallia fundos possidentium[1]. Sed si fundos multos ab oppidis suis separatos sæpissime fuisse accipimus, prout Populus Romanus novas subegit regiones, et coloniis vel municipiis istas novas terras attribuit, non continuo credere volumus integros pagos longe distantes ab urbe sua creatos fuisse. Quum alicujus Italiæ civitatis fundi in Gallia siti essent, propter tributa solummodo scimus istos fundos, vel vectigales vel emphyteuticarios, suæ urbi vectigalia solvere. Quum autem terram vectigalem exercentes omnia eadem jura haberent atque ii qui proprie illam possidebant, magistratuum autem alius vel proximæ civitatis vel etiam provinciæ, in qua siti fundi, fortasse juris erant.

Veleiatium autem fundos in occidentem patuisse constat; plurima namque nomina quibusdam pagis adscribuntur civitatum in occidua parte sitarum, sicut nomina pagorum ALBENSIS, STATIELLI, BAGIENNI, VERCELLENSIS; unde tamen non certo efficitur istos pagos fuisse sitos sub mœnibus VERCELLARUM, ALBÆ-POMPEIÆ (*Alba*), AQUARUM-STATIELLARUM (*Acqui*) et AUGUSTÆ BAGIENNORUM (*città di Bene*)[2]; sed VELEIAM sæpius cum regionibus occiduis aliquid commune habuisse, et ex munificentia senatus, istis agris subjectis, eousque patuisse ac fundos habuisse sicut jam de VERCELLENSI pago ipse sum probaturus.

§ XIII. Quod si recentiora nomina idem sonent atque priora (quod quidem maximum Pitarellius argumentum, quin et unicum protulit, ut suum cuique fundo Tabulæ locum assignaret), minus id probare mihi videtur, eadem enim nomina locis diversis sæpe in his regionibus hodie usurpantur. Dicere enim non possum quam multi sint vici et, ut Italica quam a Germanis mutuati sunt voce utar, *borghi*, qui tibi eadem nomina præbentes occurrant. Sicut *Maïrano*, *Cornegliano*, *Cornegliasco*, *Missano*, *Nibbiano*, etc., ut, in Tabula, plures sunt fundi MARIANI, CORNELIANI, MESSIANI, VIBIANI, dicti. In promptu autem erit agnoscere Pitarellii sententiam non satis firmis argumentis inniti, quum imprimis istæ similitudines etiam non ubique satis constent. Quid enim commune inter PASPEDIANUM, fundi cujusdam no-

1. Vid. Op. doct. Capmas : l'Emphytéose (mémoire couronné par la Faculté de droit de Paris) de quo supra diximus.

2. Durandi. Dissertazioni sopra le antiche città di Pedona, ecc., p. 81. — Cf. Piemonte Cispadano antico, p. 180 et 181.

men, et *Piepasse?* Quid VETULIANUM inter et *Vezza*, etc.? Qui autem quum maxime paritatem nominum veterum atque recentiorum secutus est, cur AMBITREBIUM pagum longe a TREBIA posuerit non intelligo.

§ XIV. De vicis autem pauca mihi sunt dicenda, quos quidem certam esse terræ divisionem cujusque pagi non arbitror, sed eamdem rem fuisse atque eam quæ apud nos *village* vel *hameau* dicitur. Hæc divisio pagorum (*cantons*) quæ apud nos *communes* dicitur, non apud Romanos exstitisse videtur. In Inscriptione rarissima est vicorum mentio, quæ ideo tantum facta est in nostro Titulo, ut fundorum locus melius indicetur.

§ XV. Pagos autem Tabulæ Veleiatium designare cum eorum fundis secundum locum quem quisque habuerit, non conabor. Quæ sit Pitarellii sententia, jam in Geographica tabula operis mei septima ostendi[1], cui quidem Caræ sententia adversatur. Iterum dicam verum in medio inter utrumque versari. Quum ii perobscure conjecerint, et ipse ego peccaverim, nulla vestigia certa habens quæ sequerer; hodie vero, regione PLACENTINA et PARMENSI regione peragratis, certior factus multarum rerum in investigationibus meis, jam in disputatione subsequenti undique cautius circumspiciam; atque, si infra exspectationem iste labor jacuerit, hoc certe non mihi crimini dabitur quod falsa protulerim. In hac autem aliquot certa, plura vero ex conjecturis exponam. Hoc maxime lectorem rogo ne pro certo quidquid conjecerim habeat. Primum igitur conjectura quid possimus elicere experiamur.

§ XVI. Monstrandum est quomodo quosdam pagos et fundos apud Apenninos montes, aliosque in feraciori regione distributos fuisse probare possimus.

Declaratam fundorum æstimationem, si totam in Inscriptione Veleiatium pactionem intuearis, non ad hanc plerumque summam assurgere notandum est quæ partibus eorumdem fundorum singulatim expressis efficitur; sic, in secunda Inscriptionis pactione, M. Virius Nepos fundos suos 310 545 sestertium nummum profitetur; quanquam si singulos, prout sua cuique describitur æstimatio, recolligas, aliam summam, id est 353 075 sestertium nummum apparere videbis. Sic 45 530 sestertium num. per partes facta descriptio vel æstimatio summa tota major est. Unde autem hæc numerorum disparitas oritur? De iisdem fundis agitur; una et eadem est obligatio;

1. Atlas de géograph. de l'Italie ancienne; sept planches et un dictionnaire. *L. Hachette et Cie. Paris*, 1851.

utramque possessor ipse facit æstimationem, uno et eodem, in utraque æstimatione summatim et singulatim facta, vocabulo *professus est* utitur. Qui igitur fieri potest ut alia sit collectarum singulatim partium, alia eorumdem fundorum in unum compositorum summa? Quæ causa erat cur non eadem esset æstimatio prout singulatim vel summatim fieret?

Apud nos hodie, possessores quum prædia in feraci regione per partes singulas vendunt, plus inde lucri faciunt quam si eadem universa vendant. Sua igitur cuique magno fundo diversa æstimatio est prout ejus partes sive distribuuntur sive contrahuntur; quod quidem et olim, ni fallor, fieri solebat. Cur autem utriusque æstimationis vel summatim vel singulatim factæ, altera modo majorem, modo minorem altera summam efficiat? Sic, in quinta pactione, M. Antonius Priscus fundorum totam obligationem summatim 233 080 sestertium num. professus est, at eorumdem per partes æstimatio, non ultra 221 488 assurgit; quæ summa est priore multo minor. Rem quo fieri modo potuerit exponam. Quotidiano nempe usu idem evenit apud nos. Quid enim? duas inter regiones, quum sit hæc sterilis, illa autem ferax, certum est in utraque diversa evenire. Si qua ferax regio est, ibi profecto modici fundi, si ad eamdem soli amplitudinem respicias, majores fructus quam fundi ingentes afferunt; ibidem enim quo plures fuerit in partes fundus distributus, eo plures fertilitatis causæ accedent. Contra, in sterili regione qui modicos fundos possident, vix inde fructum aliquem possunt percipere; illi autem qui magnos, quidquid lucri fieri possit, capiunt; etenim quid obstat quin passim arbores conserantur; ita certo annorum intervallo, iis sane fundus melioris reditus erit, quam modicum possidentibus, quippe qui solum sterile acceptum, sterile servent. Inde fit ut in terris quæ parum feracitatis habent, minorem summam per partes facta quam integra fundi totius æstimatio præbeat; minoris enim ibi partim quam universim vendibile solum erit. Ex iis igitur, quæ supra dixi, constat Virii Nepotis fundos in feraci regione, fundos vero M. Antonii in sterili sitos fuisse; fiuntque similia de similibus. Fundos enim animadverto in quibusdam pagis, sicut in ALBENSI[1], DOMITIO[2], HERCULANIO[3], MEDUTIO[4], sed præcipue in ALBENSI, minoris fuisse per partes æstimatos, utpote qui inter montes et in regione pa-

1. Cf. pactionem tabulæ 6am, 16am, 20am, 21am, 25am.
2. Cf. paction. 14am, 16am, 20am, 30am.
3. Vid. paction. 45am.
4. Vid. paction. 24am.

rum felici siti fuerint; JUNONIUM[1] contra et FLOREIUM[2], BRIAGONTINUM[3] SINNENSEM[4], sed præcipue JUNONIUM, majoris, utpote quos haberet regio feracior. Quod ad alios spectat, quales AMBITREBIUS et VERCELLENSIS fuere[5], quum eorum æstimatio modo majorem, modo minorem summam efficiat, necesse est ut partim feraces, scilicet in vallibus, vel secundum ripam alicujus fluminis, partim infecundi, scilicet in montibus siti fuerint; quod sane constabit, si spatium positusque varios eorum, quorum certum esse situm arbitror, intuearis; quam quidem conjecturam modo sum ego probaturus.

§ XVII. AMBITREBIUS PAGUS.

Ab Ambitrebio pago VELEIATIUM civitatis incipiam, qui ubi situs fuerit plane mihi constat. Primum, eum fuisse in utraque ripa TREBIÆ situm, ipsum nomen declarare videtur. Atque huic argumento novum aliud accedit : hæc scilicet inscriptio in *Travo* vel *Travi* campo reperta, ad oram TREBIÆ sinistram, et in parvo quodam loco *Santa Maria di Travi* appellato :

MINERVAE · MEDICAE
CABARDIAE
VALERIA SAMNONIA
VERCELLENSIS · V · S · L · M · [6]

Cabardiæ autem idem sonat atque *Cabardiacensis* (in Tabula, « *Cabardiacum fundum* » reperimus pagi Ambitrebii[7]). Ubi enim iste fuit titulus repertus, alius et apud *Caverzago* similiter in TREBIÆ sinistra ripa, in parte qua ad meridiem *Travo* spectat, inventus est :

MINERVAE
CABARDIACENSI
MARIA · C · MARI
VMBRONIS · F
V · S · L · M · [8]

Erat igitur fanum MINERVÆ MEDICÆ dicatum, juxta hunc locum, qui CA-

1. Cf. paction. 2am, 15am, 19am.
2. Cf. paction. 15am, 19am et 37am.
3. Vid. paction. 31am.
4. Vid. paction. 44am.
5. Cf. paction. 13am, 16am, 22am, etc.
6. Cara, Op. sup. cit.; — Murator., Thes. inscript., p. LIII.
7. Col. II, l. 48.
8. Cara, Op. sup. cit.; — Murat., Thes. inscript., p. LIV.

BARDIUS sive CABARDIACENSIS dicebatur, quamquidem appellationem nunc etiam servat : nam apud *Caverzago* locus est quem *Cabardico vecchio* nunc vocant, quem frustra in mappis *Bacler-d'Albe* et in Tabula geographica ducatus Parmensis, Gaetano Testæ dedicata, requiras. At eodem nunc etiam atque olim nomine in ipsa regione appellatur, quod quidem et Cara, in opusculo supra laudato, testatur [1]. Hoc nomen est *Cabardico vecchio;* et in Inscriptione nostra sic legitur :

. . . . ET · FVNDVM · AESTINIANVM ANTISTIANVM
CABARDIACVM. . . . . . [2]

Quibus ex omnibus duplex sequitur argumentum :

1° In Ambitrebio pago juxta TREBIÆ ripam, apud *Caverzago* nonnullos fuisse fundos.

2° Eumdem locum quum plurimi pro incolumitate vota MINERVÆ MEDICÆ reddituri, celebrarent, quodam inde pago MINERVIO, qui erat PLACENTIÆ civitatis, nomen ita devenisse; atque AMBITREBIO pago hunc MINERVIUM pagum fuisse conterminum, quodquidem modo amplius demonstrabo, ideoque locum, qui in Tabula nostra CABARDIACUS nomine dicitur, *Cabardico vecchio* juxta *Caverzago* fuisse situm, atque utriusque pagi, AMBITREBII scilicet et MINERVII, terminum hoc ipso loco, ubi reperti superiores tituli fuerunt, assignandum esse.

Jam autem illud constat, pagum AMBITREBIUM fundis pagi VERCELLENSIS, civitatis PLACENTIÆ, terminatum fuisse. Etenim primum hæc inscriptionis verba mihi occurrunt :

. . . . FVNDVM ALFIAM MVNATIANVM ANCHARIANVM
CVM · FVNDO · PASPIDIANO · ET · ROSIANO · ET · MARIANO ·
ET ACONIANO · ET TARQVITIANO · CVM CASIS IN CARRICINO ·
ET SILVIS SAGATIS · ET · LOCO · AGRINA · SVLLIANI · IN
PLACENTINO · PAG · VERCELLENSE · ET · VELLEIATE PAG ·
AMBITREBIO · [3]

Quum autem VERCELLENSIS pagus septentrionem inter et occidentem AMBITREBIUM spectaret (hic enim illum fuisse situm ulterius demonstrabo), apud *Rosanello* (ROSIANO), in *Nurettæ* dextera ripa, et septentrionem inter

1. *Dei paghi*, etc. Vid. supra, in hoc meo opusculo; cf. tabulam geographicam ipsius Caræ.
2. Col. II, l. 46 et 47.
3. Col. IV, l. 41.

et occidentem ab TREBIA, atque ideo septentrionem inter et occidentem ab AMBITREBIO pago, fundos ALFIAM MUNATIANUM, ANCHARIANUM et PASPIDIANUM, et alios de quibus modo ex Inscriptione Veleiatium mentionem feci, fuisse sitos conjiciam.

Hanc autem de VERCELLENSIS pagi situ in AMBITREBII vicinitate opinionem et alia ex Inscriptione nostra excerpta confirmant :

. . . . FVND · ANNEIANVM · CVM · CASA · ET · PRAED ·
VALERIANIS · EX · PARTE DIMID · IN · PLAC · PAG · VERCELLENSE ·
ET · IN · VELEIATE · PAG · AMBITREB . . . . [1]

Itaque ANNEIANUS fundus et ipse utrique pago, atque ideo utrique civitati proximus erat; quem citra montem *Aldone* et ad ipsius radices situm fuisse existimo, ubi nunc apparet *Valerenzo* (VALERIANIS)[2].

Denique hic sequitur tertius ex Inscriptione locus quo quidquid ex prioribus deduximus melius demonstratur :

. . . . FVND SCAEVIANVM · P · P · DIMID QVI EST · IN ·
PLACENTINO · ET VELEIATE · PAG VERCELLENSE ET
AMBITREBIO . . . . . [3]

Quod si conjectura uti licet, SCAEVIANUM fundum utrique pago conterminum, *Sivizzani* fuisse situm opinor[4], septentrionem inter et occidentem ab AMBITREBIO pago, juxta montem *Lazzaro*, cujus quidem jugo utraque civitas et uterque pagus natura separantur. Adhæret autem jugo mons *Aldone*, et, versus caurum continuans, utrique pago terminum, ut supra ostendi, protendit.

AMBITREBIUM quoque pagum et DOMITIUS pagus terminabat, sicuti ex istis locis tituli nostri videre est :

. . . . FVND · RVBACOTIVM · ET · SOLICELO · IN · SOLIDVM ·
ET · SALTVM · EBORELIAM · PRO · PARTE · DIMIDIA · QVI · EST ·
IN · VELEIATE · PAGO · DOMITIO · SIVE · AMBITREBIO . . . . . [5]

Mox ab isto pago DOMITIO, orientem et septentrionem inter, et orientem

1. Col. IV, l. 51.
2. Cf. Carta corografica dei ducati di Parma, Piacenza e Guastalla, divisa in 5 territorj e indicante i luoghi con parrochie, ec., dedicata all' ill^mo sig. Barone Gaetano Testa, ec. *Milano*, presso *Achille Stucchi*.
3. Col. V, l. 86.
4. Cf. Carta corografica sup. script.
5. Col. II, l. 64.

versus, AMBITREBIUM pagum terminatum fuisse ostendam. MINERVIUM vero PLACENTIÆ civitatis septentrionem inter et orientem, et medium inter VERCELLENSEM et DOMITIUM, fortasse fuisse pago AMBITREBIO terminalem asseram.

Nunc autem, si regionem quæ in oris TREBIÆ sita est attentius respexero, in ejusdem amnis sinistra ripa locus quidam *Mezzano* nomine, intra *Bobbio Travo*que, mihi occurrit, quem non alium atque MESSIANUM [1] fuisse credo, nec non et fundum FLAVIANUM MESSIANUM VIPPONIANUM [2].

Occurrit et *Bobbio*, quem locum VIBIANUM BÆBIANUM fuisse existimaverim [3].

Locum *Metteglia*, in TREBIÆ ripa dextera, meridiem et orientem versus ab oppidulo *Bobbio*, pro METELLIANO habere licet [4].

Locum *Calenzano* ad *Osero* montis radices et ad torrentis *Perino* fontem, in dextera TREBIÆ ripa, libenter CALVENTIANUM in Tabula nostra dictum fundum fuisse censuerim [5].

Bettola, locus ad Trebiæ dexteram, et in *Nure* torrentis sinistra ripa, quid obstat quominus credam BETTONIANUM fundum fuisse [6]?

Coli, in dextera Trebiæ ripa, CŒLIANI fundi situm fuisse opinor [7].

Covazio, inter *Perino* torrentem ac TREBIAM, in posterioris autem fluminis dextera ripa situm, haud alium esse atque COVANIÆ et OVILIA judicaverim [8].

CANIANO denique saltui locum assignare licet ubi nunc est *Cagno*, in ripa scilicet TREBIÆ dextera, *Travo* proximus [9].

Nunc adde locos terminales : CABARDIACUM, *Cabardico vecchio;* ROSIANUM, *Rosanello;* VALERIANUM, *Valerenzo;* SCÆVIANUM, *Sivizzano;* et omnes quos conjicere possim situs fundorum AMBITREBII pagi habebis.

Inde consequitur AMBITREBII pagi integrum et solidum fuisse solum, cui nunc terminos fere certos assignare licet :

1. Col. II, l. 54.
2. Col. VI, l. 51 ; — carta corograf. sup. script.
3. Col. II, l. 50 ; — carta corograf. sup. script.
4. Col. II, l. 41 ; — carta corograf. sup. script.
5. Col. II, l. 57 ; — carta corograf. sup. script.
6. Col. V, l. 62 ; — carta corograf. sup. script.
7. Col. V, l. 43 ; — carta corograf. sup. script.
8. Col. V, l. 58 ; — cf. Caram, Opuscul. sup. script. ; vid. Tabul. geographic. illi opuscul. additam.
9. Col. II, l. 64 ; — carta corograf. sup. script.

Septentrionem versus, 1° pagum Vercellensem, a quo monte *Aldone*, *Lazzo* monti contiguo, dividitur;

2° *Lazzaro* montem qui septentrionem inter et orientem, continuatur extremusque et jam angustior ad Trebiam, usque ad locum quemdam *Travo* dictum, *Cagno* oppositum, porrigitur;

3° Pagum Minervium, in parte quæ septentrionem inter et orientem spectat, qui Trebiæ dextera ripa forsan terminabatur;

4° Pagum Domitium, qui a *Viserano* (ubi quidem fundus istius pagi erat[1]) Pagum Ambitrebium septentrionem inter et orientem terminabat, cujus utriusque pagi terminus ad torrentis *Nure* occidentalem ripam tendebat, fere qua meridiem *Missano* et *Lugurzano*, ubi etiam duo Domitii ejusdem pagi siti erant fundi[2], spectant;

5° Inde limes rivum *Nure*, caput versus, sequebatur, locum *Bettola* (fundum Ambitrebii pagi) includens;

6° Inde autem ad occidentem vergebat et montis *Osero* perpetua juga attingebat, cujus ad radices, occidentem versus, situs est *Calenzano*, qui quidem Ambitrebii pagi fundus est;

7° Inde autem, meridiem inter et occidentem versus, editos montium vertices sequebatur, quibus *Osero* et *Azereto* montes junguntur;

8° Hujus quem dixi montis juga, occidentem versus, qua meridiem spectat *Metteglia*, Ambitrebii pagi fundus, sequebatur usque ad locum quo Trebiæ *Auto* torrens miscetur;

9° Inde limes flumen Trebiam intermeabat; *Bobbio* (Ambitrebii pagi fundum) amplectebatur; profecto huic oppidulo et *Santa Marina*[3] procedebat intermedius et *Tidone* torrentem petebat, caput versus unde torrens ille prorumpebat;

10° Quem defluentem sequebatur donec *Tidoncello* rivulum ipse reciperet, in *Nibbiano* et *Valerenzo* agro; ibique montis *Aldone* ultima sic repetebat, ut totum *Tidoncello* circuitu suo includeret.

Qui quidem limes per quindecim sexdecimve leucas gallicas extenditur, Trebiæ cursum per quinque leucas secutus.

Satis feracem regionem iste limes includit, in tres valles quas alluunt et

1. Vid. infra : Pag. Domit.
2. Vid. infra : Pag. Domit.
3. Cf. Carta corograf. sup. cit.

Trebbia et torrentes *Perino Zenasca*que, quos a dextera parte influentes *Trebbia* recipit. At etiam in hoc pago, sic definito, sunt agri quidam inculti in editis partibus quæ jugis montium *S. Agostino*, *Osero*, *Azeretto* meridiem et mer.-inter et occidentem versus, nec non et jugis montium *Pietra-Cava*, *Aldone* et *Lazzaro* septentrionem et sept.-inter et occidentem versus, proximæ sunt. Inde fides quædam conjecturæ meæ accedit, quæ AMBITREBIO pago fundos hinc feraces, inde steriles assignavit, prout fundi (quod quidem vere de AMBITREBIO nostro, ex ipsa VELEIATIUM inscriptione dici potest) sive pluris sive minoris æstimati fuerint, professione fundorum sive summatim sive singulatim facta [1].

Jam vero extra illos fines, quos ego modo descripsi, pagus AMBITREBIUS et alios fundos in proximis regionibus continere poterat, quod quidem VERCELLENSI pago contigit [2]; mihi autem hoc de AMBITREBIO pago minime manifestum est.

§ XVIII. PAGUS DOMITIUS.

AMBITREBIUM terminabat DOMITIUS pagus, quoniam utrique pago, ut supra demonstravi, RUBACOTTIUS fundus communis erat.

DOMITIUM quoque terminabat ALBENSIS pagus, sicuti ex Inscriptione nostra, videre est :

> . . . . FVND · ENNIANVM · LOCO · S · S · (id est Albensi pago) SIVE PAG · DOMITIO. . . . . [3]

JUNONIO quoque pago proximus erat, ut hæc excerpta declarant :

> . . . . FVNDVM · IVLIANVM CVM FIGLINIS · ET COLONIIS · VIIII · PAGIS IVNONIO · ET · DOMITIO. . . . . [4]

Nec non et EBOREO pago erat terminatus, sicuti alibi ostenditur his verbis :

> . . . . FVND · VORMINIANVM · PRECELE CVM IVRE · APENNINI · ARELIASCI · ET · CAVDALASCI · ET · COMMVNIONIBVS · QVI · EST · IN · VELEIATE · ET IN LIBARNENSI · PAG · DOMITIO EBOREO. . . . . [5]

Inde sequitur LIBARNÆ civitati in DOMITIO et EBOREO pagis fundos vectigales fuisse.

1. Vid. sup. § XVI.
2. Vid. infra.
3. Col. I, l. 89.
4. Col. II, l. 89.
5. Col. V, l. 20.

Nunc qua parte pagum DOMITIUM isti pagi terminarent videre est :

Primum, occidentem versus, AMBITREBIUS pagus ei proximus erat : etenim ad limitem ipsum quem ego superius huic posteriori pago adscripsi, locum fundi MESSIANI, ubi fuerit reperio ; scilicet *Missano* in *Nure* torrentis ripa sinistra, qui iste MESSIANUS fundus est [1]. *Lugurzano* [2] (LOCRESIANUS), in hac fere parte qua *Missano* septentrionem spectat, atque in *Nure* torrentis sinistra ripa, sicuti prior ille, situm est. *Viserano*, haud procul a Trebia, in dextra fluminis ora, loci *Caverzago* dicti meridiem inter et orientem [3], VICERIANUS MAMMULEIANUS fundus sane erat.

ALBENSEM pagum meridiem versus DOMITII fuisse libenter credam, nec non et in *Obola* et *S. Franca* montibus patuisse, qui quidem montes incultam VELEIÆ vallem supereminent, et illi ipsi sunt unde oriuntur *Riglio*, *Chero* et *Morfasso* torrentes.

Ut ea conjiciam, eo sum adductus, quod admodum sterilis regio est, ut locus videatur mihi conveniens situs pago Albensi, quo quidem pago, si qua fides argumentis meis supra scriptis accedit, vix alter fuerit infelicior. Etenim qua parte septentrionem VELEIA, orientem vero supradicti fundi VICERIANUS scilicet, MESSIANUS, LOCRESIANUSque spectant, mihi occurrit *Antognano*. ANTONIANUS autem nomen, in tabula nostra, sæpius usurpari apud ALBENSEM pagum animadverto. Mihi ergo videtur non unum tantum fundum, regionem vero totam ANTONIANI nomine designari atque hanc appellationem fundis omnibus qui ibi erant fuisse communem, singulis autem cognomina diversa fuisse addita quibus dignoscerentur ; ut hic ANTONIANUS CORNELIANUS, ille ANTONIANUS SEWONIANUS TULLARE vel iste ANTONIANUS COLLIANUS VALERIANUS CORNELIANUS, vocaretur, etc. [4]

Orientem igitur et meridiem versus verisimile est DOMITIUM pagum ALBENSI pago terminatum fuisse. Qui ALBENSIS quum esset parum ferax, spatio majorem eum ceteris fuisse libenter credam.

DOMITIUM, septentrionem versus, JUNONIUS pagus, opinor, terminabat, namque ille JUNONIUS feracis soli erat, in oris *Riglio* torrentis et circum

1. Carta corografica sup. scrip. ; — Col. I, l. 23 et 47.
2. Id. ; — Col. VI, l. 7.
3. Id. ; — Col. V, l. 8.
4. Col. I, l. 66, 69, 81 ; — Col. III, l. 30, 70 ; — Col. IV, l. 23 ; — Col. IV, l. 84, 87 ; — Col. V, l. 27 ; — Col. VI, l. 50.

hunc locum hodie *Cornegliano* dictum, quem fundum Cornelianum et Corneliam Coloniam ejusdem pagi Junonii[1] fuisse arbitror. Ibi enim feraces valles occurrunt.

Eboreo pago, in hac regione, nonnullos tantummodo fundos contineri opinor, spatiumque modicum. Etenim præter illud quod ipse superius exposui, nulla alia de pago isto, in Tabula tota, mentio facta est. Istos fundos animadverto pariter ad Libarnam civitatem, quæ quidem longe aberat nec non et ad Veleiam pertinuisse. Inde mihi vero simile videtur in Libarnensi agro pagum quemdam Eboreum exstitisse; cujus ii fundi vectigales erant, qui ad civitatem Libarnensem pertinebant, et in Veleiatium regione jacebant. Itaque Eborei appellationem Domitio junctam fuisse video; quippe quum non inscriptum sit in Tabula nostra, DOMITIO et EBOREO, sed DOMITIO EBOREO; Eborei — civitatis Libarnæ — pagi fundos, Domitio Veleiæ civitatis pago inclusos fuisse censeo, eosque fundos, *Auresa* loco[2], in dextera *Nure* torrentis ripa, Areliascos dictos[3], fuisse sitos.

In Domitio pago, nulli alii fundi, præter illos de quibus supra dixi, exstant quibus certum aliquem locum assignare possim. Verba igitur ea de re non plura faciam.

Ergo Domitium pagum, occiduam cœli partem versus, Ambitrebius; meridiem et orientem versus, Albensis; septentrionem versus, Junonius atque sane Mercurius, qui Placentiæ civitatis erat, terminabant.

In Domitio autem pago, extra integrum solidumque agrum, nonnullos fundos inscriptos fuisse constat. Sic, in loco *Boselli*[4] dicto, in dextra Trebiæ ripa, qua *Bobbio* septentrionem spectat, nihil aliud videmus quam Ibocelis[5] fundum, Domitii scilicet pagi : qui quidem Ibocelis fundus pago Ambitrebio inclusus videtur. Credo etiam et *Vicanino*[6], qua parte orientem Veleia, meridiem vero dictus *Antognano* locus spectat, ad *Chiavennæ* torrentis caput, fundum Virianum Vicanianum[7] Domitii pagi fuisse, a quo pago ceteroquin non longe aberat, atque Albensem intra pagum includebatur.

1. Col. I, l. 33.
2. Bacler-d'Albe, feuille XII.
3. Col. V, l. 20.
4. Carta corografica sup. cit.
5. Col. III, l. 60.
6. Carta corograf. sup. cit.
7. Col. IV, l. 19.

§ XIX. Pagus Albensis.

Primum mihi constat, Albensem pagum septentrionem et occidentem versus pago Domitio fuisse terminatum; cui et proximum Velleium pagum fuisse e sequentibus patet :

> . . . . SALTVS VELVIAS LEVCOMELIVM QVI SVNT · IN
> VELEIATE PAG ALBENSE · ET VELLEIO. . . . .

Illum vero Velleium pagum oppidi Veleiatium suburbium quoddam fuisse arbitror; qui, quum iste pagus oppidum sic includeret admodum populo frequens in modico spatio erat, ita ut forsan minor ceteris pagis fuerit. Itaque Velleius pagus Albensi inclusus, fuisse mihi videtur. Quum enim ille, orientem versus Domitio pago terminatus fuerit, quumque vicus *Antognano* dictus vere locus fuisse videatur quo siti fuerint diversi Antoniani fundi hujus Albensis pagi, quum autem iste pagus ea parte qua meridiem Veleia spectat extensus quoque fuit; sequitur Veleiatium primum civitatem, deinde et Velleium pagum undique Albensi inclusum fuisse.

Quo quidem Albensi pago vix alter pauperior fuerit : in istis enim extendi videtur montibus, quæ nunc etiam pars, in Placentina regione, est aridissima.

Albensem Martius quoque terminabat, sicut ex istis Tabulæ excerptis videre est :

> . . . . FVND · ANTONIANVM · COLLIANVM VALERIANVM ·
> CORNELIANVM · CVM · COMMVNIONIB · QVI · EST · IN ·
> VELEIATE ET IN · LIBARNENSI · PAGIS · MARTIO · ET ALBENSE . . . .[1]

Inde, nisi fallor, sequitur, juxta locum *Antognano* dictum pagum Martium situm fuisse. Video autem, in nostra Tabula, de Martio pago mentionem istam tantummodo fieri, fundumque Antonianum Collianum partim ad Libarnensium partim ad Veleiatium civitatem pertinuisse; unde mihi fides est apud *Antognano* fundum quemdam Albensi inclusum fuisse, qui pagi Libarnæ civitatis Martii fuit; pagum vero Martium in civitatis Libarnæ regione plerosque suos habuisse fundos arbitror.

Jam et *Viriano*, qua parte meridiem *Morfasso* spectat, Valerianum pagi Albensis fundum fuisse facile existimaverim.

Denique sequentia ista declarant Minervio Statielloque pagis Albensem fuisse terminatum.

1. Col. IV, l. 84.

. . . . SALTVM · BITVNIAM · ALBITEMIVM · QVI
EST · IN · VELEIATE · ET IN LVCENSI · PAGIS · ALBENSI · ET ·
MINERVIO · ET STATIELLO · ADF · RE · P · LVCENSIVM . . . . .[1]
. . . .
. . . . ITEM SALTVM BITVNIAM ET ALBITEMIVM
BETVTIANVM · QVI EST · IN · VELEIATE · ET LVCENSE ·
PAGIS · ALBENSE · ET · MINERVIO ET STATIELLO · ADF · R · P ·
LVCENSIVM . . . . .[2]

Quæ quum ita sint, plane certum est : 1° Pago MINERVIO, PLACENTIÆ civitatis, cui suus situs apud *Travo*, ut supra dixi, assignandus esse mihi videtur, fundos fuisse proprios quos pagus JUNONIUS ab agro principali divideret, et eos qua parte septentrionem pagus ALBENSIS spectat sitos fuisse ; forsan juxta locum *Li Bersani* dictum (BITUNIA, BETUTIANUS), in sinistra *Chero* torrentis ripa, situm[3] ;

2° STATIELLUM pagum, qua septentrionem ALBENSIS, orientem JUNONIUS spectat, jacuisse, in valle *Lugagnano*[4] dicta, in ripa fluminis *Arda* sinistra, quod ego oppidulum LUCILIANO fundo hujus JUNONII pagi[5] assignaverim ;

3° Denique, fundos vectigales in hoc ALBENSI pago inclusos LUCANÆ civitatis fuisse. Quumque fundi isti longe a sua civitate abessent, non fieri poterat ut, sicuti LIBARNÆ et PLACENTIÆ fundi, inter suæ civitatis pagos inscriberentur; illud satis erat quod eos sua civitas vindicaret ideoque RESPUBLICA LUCENSIUM, id est terræ vectigales, vocarentur; quid autem significetur vocabulo « RESPUBLICA » supra exposui.

Nullum vero, ex omnibus qui in Tabula inscribuntur pagis, ALBENSI pago infeliciorem fuisse arbitror. Nam in montibus extendebatur supra designatis, *Obola*, *S. Franca*, *Tollara*, nec non et in aridissimis montibus *Lama*, *Polizzone*, *Crodolo*que[6]. Forsan hic pagus quosdam fundos juxta ALBAM POMPEIAM, a qua eum civitate nomen suum usurpare censeam, possidebat.

Ex istis, quos Tabula tribuit ALBENSI pago, fundis admodum mihi paucos contigit reperire. Nulli, excepto tamen *Antognano*, certum locum assignaverim. Forsan et in *Morfasso* valle, qua hodie non est altera incolis fre-

1. Col. III, l. 32.
2. Col. III, l. 75.
3. Carta corografica sup. cit.
4. Id., id.
5. Col. VII, l. 41.
6. Carta corografica sup. cit.

quentior in his desertis locis, reperire est nonnullos ALBENSIS pagi in villarum nominibus fundos; at ipsa regio diligentissime inspicienda esset, quum in mappis, vel absolutissimis, fieri non possit ut suum cuique fundo nomen assignetur. Nunc, apud nos, in agris, suum quisque fundus nomen habet, quod isti tantum noverunt qui terram possident aut exercent. Si quis autem regionem accuratissime investigaverit (quam quidem dum perlustro, tempus mihi defuit), futurum fuisse non dubito ut res ei bene vertat; etenim mirum est quam locis vel minimis, per sæcula, appellationes eædem integræ permanserint, seu latine, seu celtice olim fuerint designati. Nonne, ipsa in Tabula nostra, Iberica quædam nomina occurrunt a Liguribus, id est, ante Urbem conditam, originem suam repetentia? Ceterum, quod in tabulis geographicis tam pauca ALBENSIS pagi nomina inscripta sint, minime mirum: tota enim veteris istius pagi regio derelicta fuit, et in quibusdam locis, sicut in VELEIATIUM valle, solo ingentes ruinæ novam faciem attulerunt.

§ XX. PAGUS VELLEIUS.

De VELLEIO pago, nihil habeo quod prædictis superaddam; inclusus enim undique ALBENSI erat; et illa jacebat in valle, ubi, solo effosso, hujus urbis VELEIÆ ruinæ sunt repertæ.

§ XXI. PAGUS STATIELLUS.

STATIELLUM pagum *Lugagnano*, qui dicitur, loco proximum fuisse supra exposui. Quod vero ad STATIELLI nomen spectat, quod quidem Pitarellium in magnum errorem adduxit, quum ille hujus pagi fundos ad AQUAS STATIELLAS, *Acqui*, requireret, haud magni laboris est explanare: hanc igitur cispadanam regionem, quum Romani subegere, nomen AQUÆ STATIELLÆ oppido cuidam indiderunt, cujus incolæ, quasi caput populi, STATIELLI vel STATIELLATES appellati sunt; ille autem populus suam sive ab Iberis sive a Gallis originem repetebat, et totam illam regionem, quæ nunc *Acqui* urbem inter et *Parmam* sita est, obtinebat. Inde suam STATIELLI appellationem fundi retinuerant, quamvis postea ab AQUIS STATIELLIS civitate dividerentur.

§ XXII. PAGUS JUNONIUS.

JUNONIUS, ut supra dixi, pagus in illa regione, quæ *Cornegliano* cingitur, situs erat: huic vero certi limites haud facile assignentur.

§ XXIII. PAGUS FLOREIUS.

Per quæ ille loca se extenderit, paulo certius exponere haud facile mihi

videtur. HERCULANIO tamen pago civitatis PLACENTIÆ fuisse conterminum animadverto:

> . . . . FVND · CARRVFANIANVM · ET · VENTILIANVM · CVM · CASIS · IN · VELEIATE · PAG · FLOREIO · ET · IN · PLACENTINO · PAG · HERCVLANIO [1].

